

dari potest etiam " pridie diei, quo ipsa in indice indulgentiarum Tertiī Ordinis elargienda recensetur."¹

Eadem formula mut. mut. adhibenda est in Confraternitatibus aut Institutis cum vel sine votis simplicibus, si quibus eadem vel similis concessio a S. Sede facta est;² speciatim in *Confraternitate SS. Trinitatis*, cuius membra scapulare hoc gestant, sequentibus diebus : Festo SS. Trinitatis, Fer. IV. Cinerum, in Coena Domini, 28 Jan. (S. Agnet. secundo), 8 Febr. (S. Joann. de Matha), 20 Nov. (S. Felic. Val.), 25 Nov. (S. Cath. M.), 14 Febr. (B. Joann. Bapt. de Concept.), 5 Julii (S. Michael. de Sanctis). (Ber. ed. 10, p. 561, *Rescr.* p. 480.)

ARTICULUS VIII.

" DECLARANDI PRIVILEGIATUM IN QUALIBET ECCLESIA SUÆ DIŒCESIS UNUM ALTARE, DUMMODO ALIUD PRIVILEGIATUM NON ADSIT, PRO CUNCTIS MISSÆ SACRIFICIIS, QUÆ IN EODEM ALTARI CELEBRABUNTUR A QUOCUMQUE PRESBYTERO SÆCULARI VEL CUJUSVIS ORDINIS REGULARI."

182.—*Explicatio.*

Loco indultorum alibi ad tempus tantum Ecclesiis collegiatis et parochialibus³ concedi solitorum,—ex hoc Art. Episcopi nostri declarare possunt privilegiatum in *qualibet ecclesia* et oratorio publico *sua diœcesis unum altare*—et quidem in perpetuum⁴ pro cunctis Missis a quocumque Sacerdote in eo celebrandis, *dummodo aliud privilegiatum*—scil. intuitu Ecclesiæ⁵—*non adsit*.—*Declaratio* seu *designatio* altaris, cui privilegium est adnectendum, ab Episcopo ipso fieri debet, nec potest Missionario aut alii cuidam relinquiri: idque non tam ob Decr. S. C. Indulg. de anno 1750, quod inter Decreta authentica non inventitur, quam ex eo, quod facultas delegandi ad hoc non est concessa.⁶—Altare debet esse fixum, ut patet ex dictis n. 153, ubi

¹ S. C. Ind. 21 Julii 1888 ap. *Past. Bl.* 1888, p. 119; Ber. ed. 10, iii. 37*.

² S. Congr. Indulg. 19 Dec. 1885 et 15 Jan. 1885 ad 2 ap. *Acta S. Sedis*, xviii. 413, xxvii. 440.

³ Cfr. Ber. p. 442 seq.; *Decr.* n. 215.

⁴ S. Off. 2 Julii 1884 ad ix. infra n. 248 et *Coll. Prop.* n. 1130.

⁵ *Decr.* n. 184. (Cfr. supra n. 153 ad 5.)

⁶ *Zit. App.* p. 431, nota.

plura alia inveniuntur.—Episcopis Provinciæ Quebecen. eadem facultas conceditur, ita tamen, ut altare esse possit "etiam non fixum" (n. 250, ad 1.).

NOTA. Omnia altaria pro quocumque Sacerdote sunt privilegiata:

I. In Ecclesia, ubi est Oratio Quadraginta Horarum et hac perdurante, dummodo ea (excepto casu specialis indulti) per quadraginta horas *continuas* juxta Instructionem Clementis XI. de 21 Jan. 1705 et Const. Bened. XIV. de 16 Apr. 1747 instituatur (Pius VII. 10 Maij 1807).¹

II. Die Commemorationis OO. Fid. Def.²—ubi quidem Missa omnibus fidelibus defunctis vel aliquibus tantum,³ at indulgentia non nisi uni illorum applicari potest (cfr. n. 152).

III. Qui *actu heroico* omnia opera satisfactoria a se et post mortem pro se facta Deo obtulit in utilitatem animarum purgatorii, gaudet privilegio personali altaris privilegiati quotidiano.⁴

ARTICULUS IX.

" BENEDICENDI CORONAS PRECATORIAS, CRUCES ET SACRA NUMISMATA IISQUE APPLICANDI INDULGENTIAS JUXTA FOLIUM TYPIS IMPRESSUM ATQUE INSERTUM, NECNON ERIGENDI CONFRATERNITATES B. M. V. DE MONTE CARMELO, SSMI ROSARII ET BONÆ MORTIS CUM APPLICATIONE OMNIUM INDULGENTIARUM ET PRIVILEGIORUM, QUÆ SUMMI PONTIFICES IISDEM CONFRATERNITATIBUS IMPERTITI SUNT; ADDITA INSUPER POTESTATE HAS FACULTATES COMMUNICANDI PRESBYTERIS SACRO MINISTERIO FUNGENTIBUS."

Haud paucis gratum erit, ea, quæ duplex objectum valde practicum hujus Art. spectant, summatim exposita invenire. Unde

¶ 1. DE REBUS DEVOTIONIS INDULGENTIANDIS.

183.—I. Observationes generales.

Res sacræ, quæ ex praxi S. Sedis cum applicatione indulgentiarum benedici seu indulgentiari solent, sunt: Coronæ

¹ Ber. p. 262, 474 (242, 431).

² *Decr.* n. 228.

³ S. R. C. 2 Sept. 1741 ad iv.

⁴ *Raccolta*, p. 453; Ber. p. 316 (291); *Acta S. Sedis*, xviii. 337.